



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Vita P. Camilli De Lellis Fvndatoris Religionis Clericorum Regvlarivm Infirmis Ministrantivm

Cicatelli, Sanzio

Antverpiæ

Cap. IX. Quâ potestate atque auctoritate Camillum donauerit Nolæ
Episcopus.

urn:nbn:de:hbz:466:1-37267

suam illis benedictionem misit, plenissimamque indulgentiam in forma sanctissimi Iubilei (quod tum Romæ anno sancto celebrabatur) concessit. Sepulti sunt omnes in templo nostro sanctæ Mariæ à Porta Cæli: quorum animas tamquam fortium Christi athletarum, & veterum suæ Crucis Equitum, nunc in cælesti gloria regnare confidimus.

CAPVT IX.

Qua potestate atque auctoritate Camillum donauerit Nolæ Episcopus.

DVm ista Nolæ sæuiret contagio, erat eius vrbis Episcopus Romæ, qui cum ob corporis, vt arbitror, infirmitatem, aut ob tempora profectionibus incommoda, ciuibus suis adesse non posset, intellecta insigni nostrorum erga infirmos suæ ciuitatis charitate, litteris, quas à Camillo acceperat, respondit in hanc formam:

Reuerendissime Pater, & Domine mi plurimum obseruande, non potui absque abundantia lacrymarum Reuerendissimæ Paternitatis tuæ litteras perlegere, in quibus ad me scribis afflictionem atque miseriam Nolæ ciuitatis meæ, atque eius territorij; quæ me adeò afflixerunt, affligunt.

fliguntq̄, vt verè possim dicere, Memet ablu-
 lerunt à me. Neque ego aliud ago in præsentia,
 quàm Dominum Deum nostrum, & gloriosos
 Sanctos qui in ea ciuitate sunt, pro omnium sa-
 lute & incolumitate deprecor, vt eorum tan-
 gantur commiseratione, & pro expiandis pecca-
 tis nostris preces fundant. Omni vsus sum dili-
 gentia in hominibus & Sacerdotibus hic per-
 quirendis, quos Nolam mitterem, sed hæc tamen
 neminè reperire potui qui istuc ire vellet. Qua-
 re plurimas Reuerendissimæ Paternitati vestræ
 gratias ago de ingenti charitate, quam (vt mihi
 perscripsit Abbas Melchior Procurator meus)
 Patres vestri in dicta ciuitate mea eiusq̄ pagis
 erga pauperes infirmos exhibuerunt, quodq̄ ad
 vnicam simplicem nomine meo euocationem
 dignatus sis mihi gratificari, non solum in tot
 mittendis Sacerdotibus, sed etiam in te ipso il-
 luc transferendo. Et cum iam antehac tuæ Re-
 ligioni infinitis nominibus me senserim obliga-
 tum, ab anno scilicet M.D.XCIV. in simili qua-
 piam contagione; tum verò in hoc tempore in-
 aucta est obligatio, vt tametsi me ipsum dele-
 ro, tamen non satisfacero vel minime parti vo-
 luntatis & desiderij mei, quod habui, & semper
 habebō vobis & toti Religioni vestræ seruien-
 di. Accepi etiam, Abbatem Melchiorem, quem
 Vicarius meus suo loco reliquerat, male habere,
 ac proinde credo eum non posse omnibus occu-
 ren-

rentibus necessitatibus providere. Quare his literis concedo Reuerendissime Paternitati tue omnem meam potestatem tam circa omnes casus Episcopo reseruos, quàm circa alia omnia ad Vicarij officium pertinentia: item edicta faciendi, Confessarios approbandi, Presbyteros & alios quoscumque meos subditos ad officium cogendi, & contra mandata venientes, tamquam si ego presens essem, puniendi. Adde præterea, ut sumantur ex meis adibus omnia quaecumque Reuerendissime Paternitati tue & tuis Patribus vsui esse possunt; ac si illa defecerint, iubeat sibi à Procuratore meo dari pecuniam, & pro tuo arbitrio provideri. Denique commendo tibi istas animas cum ardentissimo affectu & lacrymis, & tibi à Domino salutem & votorum tuorum expletionem apprecor. Româ ad decimam nonam Augusti, anno M. D. C.

Reuerendissime Paternitatis tue
Seruus amantiſſimus

FABRITIUS Episcopus Nolanus.

CA.